

quanti Viri ! Reformatorum heic sententiam tenuere , quos
 vero ex Theologis Augustanae Confessionis nemo est qui da-
 mnet, adeo, ut memoriam eorundem in summo potius pretio
 habeant. Ut taceamus hanc litem nec in Augustana Confes-
 sione nec in Formula Concordiae decisam , sed post hujus scri-
 ptionem demum fusius ventilatam & in litium fundamentalium
 classem à Theologis illatam fuisse: Ex quibus Orat. Acad. Hex.
 Edit. Tubing. 1721. 4. l. pag. 16. repetit ista: Qui canonem
 hunc sequitur & controversias ad amussim ejus expendit, fa-
 cile perspiciat, quod qui Reformatis à nobis objiciuntur, erro-
 res fundamentum fidei haud interficiant. Etsi enim, quæ de
 prædestinatione absoluta & de irresistibilitate gratiæ deque fide
 proskairo ab ipsis dicuntur, ita comparata sint, ut in se spe-
 ctata fundamentum fidei subruere posse videantur, tamen ea-
 dem in connexionione sua cum aliis egregiis veritatibus conside-
 rata ita diluuntur, ut fidei ipso actu nil noceant, atque intelle-
 ctum solum in transversum tantisper agant & extra illum non
 egrediantur, sed ipsis illis veritatibus, quæ erroribus junctæ
 adparent, mox supprimantur atque corrigantur. Ex quo uti-
 que consequitur, errores istos, etsi fundamentales in se videri
 possint, tamen in connexionione sua fundamentales non esse, id
 quod nobis sufficit.)

§. II.

In quibus doleo Virum Celeberrimum ingenio & eruditi-
 one, dotibus à sanctissimo Numine ad sanctitatis ejus gloriam il-
 lustrandam & vindicandam sibi concessis, adversus eandem uti,
 ac dum pietati militare se arbitratur in illam arma convertere.
 Neq; adeo moleste feret, hac me occasione ab Ejus sententia pu-
 blice hic discedere, cum id, siquidem cum ratione fieri possit,
 non invitus videatur admittere, Instit. Theol. Dogm. & Moral.
 pag. 23.